



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

2. Considerationes, quæ pertinent ad notitiam sui ipsius

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

2. *Considerationes, quæ pertinent ad notitiam sui ipsius.*

Considerare quis poterit primò, quid sit in statu naturæ, deinde quid in statu gratiæ.

1. In statu naturæ nihil sumus ex nobismet-ipsis, quia totum esse nostrum à Deo solo recepimus, postquam per totam æternitatem omninò nihil fueramus.

2. Hoc ipsum *esse*, quod habemus, adeò est imbecillum, ut si Deus, qui ipsum nobis dedit, continuo conservationis beneficio illud non sustineret, mox in nostrum nihilum reincidenteremus.

3. Quin & nosmetipsi adeo in agendo sumus debiles, ut, nisi Deus in qualibet actione nostra concursu suo generali opitularetur, ne vel manum possemus movere.

4. Quantum ad animam, ignorantia sumus pleni, nostrarumque subjecti bello passionum, quibus frequenter succumbimus, atque ita à vitis non rarò superamur.

5. Quantum ad corpus, illud est in præsentis vas plenum immunditatis, & aliquando esca vermium erit.

In statu similiter gratiæ considerare quis poterit,

1. Quod si illam habeamus, non habemus nisi ab infinita Dei misericordia, qui nobis illam nullo titulo debebat, quique de facto pluribus illam Regibus, Monarchis & Magnatibus, qui illam nobis etiam amplius promeriti fuisse videri possent, denegavit.

2. Nos

2. Nos nulla ratione possumus in statu gratiæ perseverare, nisi ille, qui in eo nos collocavit, Deus in ipso nos incessanter conservet.

3. Ne vel minimum virtutis cujusvis elicere possumus actum, absque speciali bonarum illius inspirationum, & sanctarum emotionum subsidio.

4. Deinde super seipsum se reflectens expendet, quantum ipse sit in illis ipsis gratiarum subsidiis correspondendo infidelis, quotque sit imperfectionibus subjectus, atque ita quandam quasi coram Deo confessionis speciem efficiet.

Demum ex omnibus considerationibus istis elicere poteris exiguum, omninoque vilem tuimetipsum existimationem, ac deinde confunderis de illa, quam hactenus aliquatenus prætulisti, præsumptione, omninoque statues nihil imposterum per vanam gloriam tibi metipsum attribuere, verum ad Deum, boni omnis authorem, omnia, quæ in te videri bona possent, referre.

3. *Considerationes de Morte.*

1. **C**onsiderabis quid sit mors: animæ videlicet à corpore separatio, quæ necessariò aliquando, infallibiliterque eveniet.

2. Quam incerta sit mortis hora, sicut & modus, quo nos illa invadet, subito videlicet aut ex præmeditato.

3. Dolores, terrores, & horrores, qui illam solent prævenire.